


ANTONIUS ONUPHRIUS

DE OKĘCIE

OKĘCKI,

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPI-
SCOPUS POSNANIENSIS & VARSAVIEN-
SIS, ORDINUM AQUILÆ ALBÆ & SAN-
CTI STANISLAI EQUES.



AD commodiora Christi Fidelibus præstanda auxilia, quantum in Domino possumus, sollicitudinem Nostram conferentes, per examen idone repert, omnium Fidelium utriusque sexus, exceptis Monialibus, & citra præjudicium alterius Parochiæ, Confessiones audire, eosque à peccatis, quæ corde contriti & ore confessi fuerint, etiam a casibus Sedi Ordinariæ tam de Jure communi, quam consuetudine reservatis, prout in Constitutionibus Provincialibus lib: IV. Tit: de Pœnit: & Remiss: enumerantur; Casu tamen Machinationis quovis modo in vitam Sacra Persona Regia, tum quoque Simoniacis, ob annexam & Papæ reservatam excommunicationem, percussoribus notoriis Clericorum, & raptoribus Decimarum, ac quorumvis Honorum Ecclesiasticorum iniquis occupatoribus, nec non rerum post vitâ functos Clericos usurpatoribus (nisi subsecuta satisfactione, vel in articulo mortis) semper exceptis, qui omnes in præsentî concessione minimè comprehenduntur, quinimo eximuntur, ac præfatæ Ordinariæ Sedi reservantur; in forma Ecclesiæ consueta beneficium absolutionis in foro conscientiæ impertiri, Authoritate Nostra Ordinaria facultatem damus & concedimus. Verùm, ut incolumitati quoque pro munere Nostro, quantum in Nobis est, opportunè prospiciamus, scientes, quod inter honorifica Officii Sacerdotalis munia nullum est, quod ampliore utilitatem Populo Christiano adferat, ac simul formidandam indignis licet JESU CHRISTI Vicariis imponat obligationem, quàm administratio Pœnitentiæ Sacramenti, proinde monendum cum Apostolo I. ad Timot: cap: 4. v. 14. ac in omni caritate obsecrandum judicavimus: *Noli negligere gratiam, qua data est tibi cum impositione manuum Presbyteri, exemplum esto Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in Fide, castitate... attende tibi & doctrina... Hoc enim faciens, & reipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Illudque Divi Bernardi in memoriam revocare: *Va! Filiis ira, qui se ministros gratiæ profitentur.* Quid enim proderit alios salvos facere, propriæ salutis negotiò amissionis periculo expositò? extendere manum ad alios benedicendos, atque solvendos super terram, ut solvantur in Cælo, manere in terra coinquinatum in anima, & ligatum coram Domino, nec aliter uti ministerio reconciliationis, nisi ad propriam damnationem aggravandam. Character equidem & potestas ad peccatores bene dispositos DEO reconciliandos ubertim sufficit, verùm nisi Spiritus quoque ille, quem Dominus insufflando contulit Apostolis, & hodie, dum eadem via communicatur Sacerdotibus, diffundatur in corde eorum, in aliis accendi, multò magis conservari, minimè poterit. Illi quoque, qui conscientiam gerunt oneratam peccatis, nec ad horum depositionem, nec ad Sancti-

Sanctimoniam misericorditer obtentam sollicitam custodiam animabuntur, ex quo de-
 prehenderint Dispensatores horumce DEI donorum incurios in salutis negotio, ac
 consequenter pauperes, miseros, ac miserabiles existere. Memineri quoque permanere
 in iis, quae didicisti, & concredita sunt, quae inquam ab infantia
 Ecclesiastica nosti: haec quippe possunt instruere ad salutem per fidem, quae
 est in CHRISTO, atque maximam conferre utilitatem ad docendum, ad
 arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit Homo
 DEI, ad omne opus bonum instructus. Imo etiam non pigre ea ex Apost: Consti-
 tutionibus, Decretis Synodalibus, venerandae antiquitatis monumentis, universa Theo-
 logia, & quod primo dicendum erat, ex Divinis Scripturis frequenter relegere ac me-
 ditari, quae ad rectam hujus Sacramenti administrationem conducunt. Denique re-
 cord Non nobis, Divo Paulo teste, II. ad Tit: cap: 1. §. 6. & 7. per
 impositionem manuum datum esse a DEO Spiritum timoris, sed fortitudinis. Unde
 etsi magna charitate, ac longanimitate uti oportet erga miseros peccatores, mi-
 nimè denegando lapsis Pœnitentiæ locum: deposito nihilominus timore mundano,
 respectu, ac præcipue temporali interesse, vigore Aplico admonendos esse eos,
 qui licet onerati peccatis sanam doctrinam non suscipiunt, crimina criminibus ac-
 cumulant, de vitæ emendatione ne quidem cogitant, denegatio etiam absolutionis
 beneficiò: Sancta enim Sanctis non nisi dari debent, non verò profanari apud irreligiosos contemptores. Quodsi contristabuntur, imo etiam contra severitatem nimis
 justè obmurmurabunt, gaudere oportet cum Apostolo, non quod sint
 contristati, sed quod sine contristati secundum DEUM, nempe ad poenitentiam. II.
 Cor: cap: 7. §. 9. Illos verò, qui indubiis signis suam Pœnitentiam, & ad DE-
 UM conversionem demonstraverint, zelo Aplico cohòta, quatenus cum Sancto
 Paulo adimpleant, quae in iis desunt passionum CHRISTI, ad Col: cap: 1. §. 24.
 habitaque ratione delictorum, non modo medicinalibus à relapsu cohibe
 satisfactionibus, verum etiam allabora *Ut sicut exhibuerunt membra sua servire im-*
munditia & iniquitati ad iniquitatem, ita abhinc exhibeant membra sua servire justitiae
in sanctificationem. Rom: cap: 6. §. 29. Quae ubi fideliter ad effectum deduxeri, No-
 stræ quoque sollicitudini levamen affere non exiguum. Hac autem Nostra Concessio,
 à data presentium computando, ad decursum
 valorem suum obtinebit; eoque elapso ab excipiendis Confessionibus, gravi tamen
 mortis periculo excepto, abstinere, verum aliam similem tenebe procurare facul-
 tatem, exhibito prius examinis coram Personis ad id designatis, & peractorum
 Exercitiorum Spiritualium, & nullo modo aliter, idoneo Testimonio; super quibus
 omnibus & singulis præmissis oneramus conscientiam. In quorum fidem,
 Datum Varsaviæ Die Mensis Anno Domini 1780

XVIII. 3. 376

